DE IMMACULATO VIRGINIS DEIPARAE CONCEPTU DIALECTICA...

DE IMMACULATO

VIRGINIS DEIPARAE CONCEPTU

DIALECTICA DIATRIBE

NEAPOLI
EX VANNI TYPOGRAPHEO
MDCCCLVI.

QUAM. ΔΙΑΛΕΞΙΝ

ALMAE . AVERSANAE . ECCLESIAE . SPEI

SUCCRESCENTES

FRANCISCO . PETRARCA . MODERATORE

PRONUPER . FUERE . ELUCUBRATI

EPHEBI . ADMODUM . STUDIOSI

VIRGINI . PRIMAEVAE . LUIS . EXSORTI

ANNO . AB . EIUS . PARTU . CIƆIƆCCCLVI. DIE IV. AUGUSTI

PROTHYME

D. D. D.

ANTELOQUIUM

Quod Christi fidelium totius terrarum orbis pluribus ab hinc saeculis in votis erat (1), quodque permultis rationis Theologicae momentis ab Scriptura traditioneque depromptis per eruditissimos viros e veteribus Scotum (2), aliosque, e novissimis Joannem Perrone (3), Carolum Passaglia (4), caeterosque tamquam pro ara et focis strenue decertatum atque propugnatum; tandem aliquando D. O. M. adjuvante, cujus est a fine ad finem fortiter et suaviter attingere, cunctaque in numero, pondere, et mensura disponere, Pius PP. IX. ann. reparatae salut. 1854 die VIII decembris de Immaculata B. M. V. ex primo ejus instanti conceptione nobis decretum protulit (5), quo veritatem hanc revelatis esse accensendam veluti eo usque temporum injuria oblitcratam innuit, sanxit, auctoritateque sua Apostolica obsignavit. Quanta vero animorum laetitia, plausuque hocce Dogma ab ea Christi Ecclesia declaratum, quam adversus numquam fore praevalituras omnes tenebrarum potestates de fide tenen-

(1) Uti patet ex resp. 620. Archiep. et Episcop. ad Encyclicam SS. D. N. Pii IX. citat. a Ioanno Perrone S. I. tract. de Deo Creatore part. III. cap. IV. de peccat. originis propag. in adnot. inferne posit. n. 1. pag. 18. fol. nuperrim. adjunct. de immac. B. V. M. concept.

(2) In Disqu. Theolog. Ioan. Perrone S. I. in fine cap. II. primae partis sic habetur: « *Negari haud potest, aetate illa, ob auctoritatem praecipue S. Bernardi, et magistri sententiarum praevaluisse inter Scholasticos sententiam B. V. ejusmodi privilegium negantem ita ut illam adoptaverit, suamque fecerit Schola Sorbonica omnium celeberrima, donec in arenam descendit perinsignis Joannes Duns Scotus, qui primum Oxonii, deinde vero Lutetiae strenue, ac feliciter adeo affirmantem propugnavit sententiam, ut ea exinde in scholis Catholicis pedetentim invaluerit, ac festum Immaculatae Conceptionis longe, lateque in Ecclesia fuerit propagatum* ».

(3) In suo aureo opusculo, cui tit. Disquisitio Theologica etc.

(4) Consule sis. Carol. Passaglia S. I. Comment. de Immaculato semper Virginis conceptu.

(5) Vide sis. SS. Pii divin. provid. PP. IX litt. Apostol. de Dogmat. defin. immac. concep. Virg. Deipar. quae incipit « *Ineffabilis Deus etc.* ».

dum (6), fideles exceperint ubique universi, quantaque cordium pietate ac affectuum devotione fuerint amplexati nemo est qui persequi valeat. Cum enim tam pleni gaudii, tamque ferventis studii testimonium haud dubium ex Episcoporum, Archiepiscoporumque documentis, ex omnium locorum festis summa cum pompa ac inaudita celebritate, triduis post aut novendialibus praemissis, ad laudem et gloriam Dei, atque Immaculatae peractis, nec non ex magnificis cum Romae, tum alibi monumentis ad idipsum opus erectis, academiis, sodalitatibusque sub tanto titulo institutis nonnisi exhiberi posset (7); cumque his penitus describendis per singula excurrendo ingentia ipsa volumina satis non essent; ecquis erit (eo vel magis quod instituti nostri ratio minime pateretur), ecquis erit, inquam, qui tam gravem molem suis humeris ferre non recusaret? Caeterum ne res hujus tanti momenti modo aliquo haereat, quamquam et unusquisque nostrum semet suamque conscientiam testem vel luculentissimam experitur immensum ob gaudium quo ceu perfunditur: auream Cl. P. Anton. Angelini S. J. sacrae eloquentiae in Romae Collegio Professoris inscriptionem nuper editam (8), in qua elegantissimo Latii sermone ea omnia, ut ita dicam, summatim, breviterque est complexus, quamque per extensum Joannes Perrone S. J. non infimi subsellii Theologus peritissimus exscripsit (9), sedulo perlegere, eidemque unumquemque studere non pigeat. Nos tantum in Dogma praefati Conceptus Immaculati adstruendum, ac vindicandum omnem conferamus operam, laboremque impendamus nunc praestat, nonnullis post dialecticorum more, queis magis, magisque quaestionis status elucescat fundamenti ad instar praejactis.

Anim. 1. Activam inter et passivam conceptionem apprime distinguatur oportet prout Benedictus XIV indigitat (10); alteram, qua parentes opere maritali invicem convenientes praestant ea, quae maxime spectant ad corporis formationem, organizationem, et dispositionem, adeo ut in se excipere valeat animam rationalem a Deo infundendam (11); alteram, qua a Deo corpori in matris utero perfecte efforma-

(6) *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Matth. cap. XVI. v. 18.

(7) Sic in Ioan. Perrone S. I. adnotat: infern. posit. Num. 1. pag. 45 ad pag. 46 in fol. nuperrim. adj. de Imm. Concept. tractat. de Deo Creator. part. III. cap. IV. de pecc. orig. propag.

(8) In collect. cui tit. — Solenne adunanza in onore dell' Immacolata Concezione tenuta dagli Arcadi in Campidoglio. Roma 1855.

(9) Uti in adnot. inferne posit. pag. 46 tract. de Deo Creator. part. III. cap. IV. de pec. orig. propag. fol. noviss. adjun. de Immac. B. V. M. Concep. quae incipit — Sera posteritas etc.

(10) Benedic. XIV. op. de festis lib. 2. cap. XV. n. 1. opp. edit. Rom. 1751. tom. X.

(11) Evolve quae habet perinsignis Frassen in Scot c acad. tom. 8 edit. Rom. 1702.

to anima ipsa, dum creatur (12), infunditur. Unumquemque nostrum, cum ex arctissimo duplicis substantiae corporis scilicet animique nexu (13) nonnisi resultet, utramque illam activam nempe ac passivam conceptionem necessario subire nemo est qui non videat. Qua tamen ab universali lege Christum, cujus Sanctissima humanitas ex purissimo B. M. V. sanguine fuit omni ex parte (14) Spiritus Sancti opus, exceptum iri volumus prout passim et sacrae Litterae et Traditio (15) insinuant; adeo ut facillime ejus ab omni originis labe immunitas apprime intelligi, ab eaque, qua ob ejusdem merita exornata fuit Deipara Virgo, perbelle discerni queat.

Anim. 2. peccatum originis sive Adae, quod in omnes ejus posteros teste Apostolo, pertransiisse (16) et in quo ex Regio Psalte (17) descendentes omnes carnaliter progenitos esse, una Beata Maria Virgine excepta, qua de heic agitur, Catholica fides mordicus tenet, constare duobus ex elementis formali uno, et quasi materiali altero, quicquid perpauci e Theologis sentiant, singulos, et universos ferme apud (18) Patres, ac Doctores in confesso est, adeo ut originalis justitiae carentia sit illius primigeniae culpae veluti formale, et concupiscentia uti materiale. *Peccatum,* ajebat enim Angelicus Doctor, *originale* (19) *in hoc ho-*

(12) Diximus DUM CREATUR etc. ad praecavendum cum Origenis errorem de animorum praeexistentia corporibus, in quae detruderentur veluti in carceres, tum eorum, qui supponerent B. Virginis animam fuisse temporis prioritate sanctificatam, priusquam corpori inspiraretur: quod falsum ex Ioanne Perrone S. I. num. 3. prolegom. proposit. IV. de Imm. Conceptu B. M. V. part. III. tract. de Deo Creator. cap. IV. de pecc. originis propag. in fol. recens adjuncto.

(13) Ita Concil. Later. IV. sub Innoc. III. « *Deus omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam... et humanam quasi communem ex corpore, et spiritu constitutam.* »

(14) *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. cap. I. v. 35.

(15) Lege, si lubet, sermon. 2 Leonis M.; Epist. Synod. Sancti Dionys. Alexand. ad Paul. Samos. a. 260; Disquisit. Theolog. Ioan. Perrone S. I.; aliosque.

(16) Ex textu graeco: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον: ex latino: *in quo omnes peccaverunt* ad Rom. V. v. 11.

(17) Ex Hebraico *Hen-Behaon cholalethi ubchet jechemathni immi.* Quae verba sic vertit Vulg. nost. Ps. 51 v. 6. « *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* » ob diversas quas peccatorum species delexit Aug. in uno Adae contra Pelag. cavillat. cap. 46. Enchir. num 13; quemadmodum et Chald. Syriac. et Arabic.

(18) Vide Anselm. de concept. Virg. et orig. peccat.; Div. Thom. Quaest. IV. de Malo, et in Summa 1-2 quaest. 82. art. in corp. caeterosque, quos recenset in sua disquisit. Theolog. citata. Ioan. Perrone S. I. pag. 1. in adnotat. 2. infern. posit. Videsis etiam Laurent. Berti lib. XIII. cap. V. de Theolog. disciplinis « in quo consist. peccat. orig. natur. »

(19) Div. Thom. quaest. cit. IV. de *Malo.*

mine vel illo nihil aliud est, quam concupiscentia cum carentia originalis justitiae. Ita tamen quod carentia originalis justitiae est quasi formale in originali peccato, concupiscentia est quasi materiale. Quae cum ita sint, vi conceptionis activae transfundi materiale noxae Adamiticae, seu concupiscentiam; passiva vero in conceptione contrahi formale, seu reatum ejusdem culpae ob debitam primigeniae justitiae nuditatem (20), quacum corpori rite compacto anima infunditur, unusquisque sanae mentis facillime intelligit. Ad vitandum igitur hujusmodi peccatum necessum foret, ut quis (21) eodem, quo passive concipitur, instanti ea exornaretur praeventionis gratia, qua omni ex parte sua concupiscentia dominari posset suique ad Creatorem, bonumque incommutabile vel actu converteretur, vel saltem habitualiter posset. Qua in hypothesi Beatam Virginem Mariam heic asserimus immaculatam tantamque habuisse immunitatem labe ab omni ex Jesu Christi meritis, prout exposuit Alexander VII. (22), perinde ac Pius PP. IX. decrevit (23).

Anim. 3. Modum, de quo paulo ante praeservativum Deiparae (24), ab originis macula in ipsis Scripturis fundatum, quin Redemptorum per Jesu Christi sanguinem e censu Eam deleat, imo potius singulariter redemptam (25) efficere nemo est qui ambigat. Cum enim ab illius noxae contrahendae debito immunis non fuerit Beata Virgo, quippe quam reapse contraxisset, ni specialissima Spiritus Sancti gratia praeventa fuisset, in comperto est, fuisse modo sublimiori redemptam, intemeratamque servatam. Hunc redemptionis modum non respuit Caietanus ipse (26), quin imo nobilissimum esse fatetur.

(20) « *Hoc peccatum quod originale dico aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debite nuditatem.* Ita S. Ansel. cap. 27. lib. cit. de concept. Virg. et orig. peccat.

(21) Adv. Non enim in instanti priori, aut insequenti, quia in priori nondum esset homo, seu hominis persona, quae utique ex unione animi cum corpore resultat; in posteriori vero non amplius daretur locus praeservationi a peccato originis; eo quod jam transmissum patet in iostanti, quo facta est conjunctio animae cum corpore.

(22) Vide constit. « Sollicitudo omnium Ecclesiarum VIII. Decembris 1661.

(23) Clarescit ex litt. Apost. SS. Pii PP. IX. « *Ineffabilis Deus*. VI. Id. Dec. an. 1854. edit.

(24) Nam Psal. 143. v. 10, de semel David scripsit « *Redemisti David servum tuum de gladio maligno,* idest Goliath » qui sane gladio David non confodit; ita et Paulus ad Galat. 3. v. 13. « *Christus nos redemit de maledicto legis*, etsi gentiles ad Christi fidem conversi numquam Mosaica lege fuerint obstricti. »

(25) *Credendum est quod novo sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus Sanctus Eam a peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia praeservavit.* Ita Bonav. Serm. 2. de Beata Virg. Maria tom. 3.

(26) *Si autem tenetur Beatam Virginem non ex vi conceptionis, sed ex gratia sin*

Anim. 4. Quemadmodum Haeretici omnes, uti Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Graeci Schismatici, aliique quovis tempore Ecclesiam quicquid ad fidem spectans definientem falso novitatis Dogmatum crimine identidem insimularunt (27); ita ne a debacchantibus nostrae aetatis Neo-tericis eadem Dei vivi Ecclesia, quae est columna, et firmamentum veritatis (28), incusetur; abs re non erit superioribus jam substratis perpauca ad agendas pro Ea vindicias jure, meritoque heic subnectere. Cum Ecclesiam a Christo fundatam omnem jam docuerit veritatem Patris, Filiique Spiritus (29), quem ut ad eam mitteret, cum in coelum ascendit, Patrem suum enixe rogavit Christus ipse; nulli dubium quin Ecclesia dogmaticis in suis definitionibus nova non procudat Dogmata, verum solummodo declaret inter fidei veritates esse recensendam hanc, aut illam, quarum omnium jamdiu complete facta est revelatio (30). Quam ob rem in una e septem Oratione, quas diversi hujusce Aversanae Cathedralis Cl. CC. in septenario festo immaculati Beatae Virginis conceptus praemisso habuerunt Dogmatica definitione post edita, Quidam non obscuri nominis Canonicus (31) dogma de illiusmodi intemerato conceptu demonstrandum assumpsit adeo esse antiquum, ut ipsius revelatio mundi primordiis facta coextiterit; quae quidem Panegyrica Oratio ceu victrix exultavit, et forsitan quamprimum lucem videbit.

Anim. 5. Sententiae Deiparam originali macula haud foedatam asserenti saeculo XII Abatem Clarevallensem Bernardum eruditis visum est (32) primum omnium fuisse aliquatenus refragatum; quippe qui aegre

gularissima .... praeservatam ab originali peccato .... nihil contra fidem tenetur : sed specialis modus redimendi, ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae matris etc. Ita Caietan. in Commentar. in artic. 2. q. XXVII. p. 3, summae Div. Thom.

(27) Uti patet ex Histor. Eccles.

(28) Ex Apostol. 1. ad Tim. cap. 3. v. 19.

(29) Ioannis XIV. v. 16 e t. 26.

(30) Ad rem Vincentius Lirinensis in aureo suo Commonitorio *Christi Ecclesia, inquit, sedula, et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non opponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata, et inchoata accuret, et poliat, si qua jam confirmata, et definita, custodiat.* De hac eadem re adi sis Petavium, de Trinitate lib. 2. cap. VII. ubi alleg. auctorit. Sanct. Epif. Sanct. Aug. Isidor. Pelus. Sanct. Ioan. Chrysost. Sanct. Gregor. Nyssen. Sanct. Basilii Seleucien. Sanct. Amphiloc. Sanct. Damasc. aliorumque.

(31) Subaudi Rev. Canonicum Michael-Angelum Diana, qui hodie in Avers. Clericor. Sem. vices praefecti studiis Reverendissimi Can. de Falco garit.

(32) Lege sis quae scrib. Ioan. Perrone S.I. in Disquisit. Theolog. de immac. B.V. concept. an Dogm. decret. defin. possit cap. I. de controvers. origin.

2

ferens, quod Lugdunenses Canonici quarumdam Ecclesiarum more et ipsi Immaculatae Conceptionis festum adsciscerent peragendum, eos sua epistola (33) vehementer redarguit quasi de inconsulta novitate. Saeculo vero insequenti eidem sententiae inter alios, licet perpaucos (34), et Divum Thomam (35), et sanctum Bonaventuram (36) parum favisse pro certo habetur a nonnullis; quorum omnium tamen verba parumper emollire satagemus cum difficultates enucleabimus. Hac vero aetate nostra contra Dogmaticam conceptionis definitionem nescio an unus tantum (37) aut etiam alter anonymus Taurinensis quidam varias edidit cavillationes (38), quas peracute exsufflat eruditissimus Perrone (39). Nos interea demum, his ita hucusque perpensis, et veluti in antecessum missis, rationes nunc sedulo evolvamus oportet, quibus Dei Genitrici Mariae ab mortifera originali tabe immunitatem fortiter vindicemus. Sit igitur ita

PROPOSITIO.

Conceptus Deiparae Virginis Mariae PASSIVUS *fuit praeservatus ab omni originis labe immunis ex singulari Omnipotentis Dei gratia, et privilegio intuitu meritorum D. N. J. C. humani generis Redemptoris. Dogma fidei est quoad singulas ejus partes* (40).

Prob. 1. pars propositionis ex Scripturis cum Veteris, tum Novi Testamenti. Ejus mulieris passivus conceptus censendus est immaculatus, quam sacrae Litterae praenunciant futuram una cum semine suo perpetuo et absolute antagonistam malesuado serpenti ejusque semini, perinde ac hujusce caput penitus contrituram; quamque totam pulchram, et

(33) En ipsissima ejus verba: *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter, et inconsulto paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Epist. 174 edit. Montfaucon num. 1.

(34) Scilicet Magist. sentent. lib. 3. dist. 3, et Alexand. de Hales summa Theolog. p. 3. q. 3, membr. 2. artic. 1, 2, 3, 4, 5.

(35) Praesertim III. part. q. 27 artic. 2. in summa.

(36) In 3. lib. sentent. dist. 3. artic. 1. opp. edit. Rom. 1596 tom. V. pag. 33; et sequentibus: ast Seraphicus Doctor, re melius perpensa, piae adhaesit sententiae de immaculata conceptione, ejusdemque effectus sectator, acerrimusque propugnator; Ita sermone 2. de B. V. Maria tom. III. opp. edit. Rom. 1596 pag. 389 coll. 2.

(37) Adi sis adnotat. infern. posit. Ioan. Perrone S. I. num. 4 pag. 29 fol. nuper. adjunct. tract. de Deo Creat. part. III. cap. IV. de peccat. orig. propag.

(38) In opere cui titulus: Proposta di alcune difficoltà, che si oppongono alla definizione dommatica della Immacolata concezione della B. V. Maria. Torino 1854.

(39) Perlege sis difficultat. solution. Ioan. Perrone S.I. in fol. nuper. adjunct. tract. de Deo Creatore p. III. cap. IV. de peccat. orig. propag. de Immaculat. Deipar. concep.

(40) En verba LL. App. de Dogmat. defin. Immac. concept. Virginis Deiparae

absque macula, sicut lilium inter spinas candidissimum, gratiae deliciis adeo auctam, ut caeteras Sion filias supergrediatur, necnon gratia omnimoda plenam, ut reliqua mittam, praedicant. Atqui ita est: enim vero ait Deus serpenti (41), qui Hevam a mundi exordio ad praevaricandum induxit: *inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa* (42) *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo e-*

SS. D. N. Pii D. P. Papae IX. « *Declaramus, pronunciamus, et definimus doctrinam, quae tenet Beatiss. Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia, et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque iccirco ab omnibus fidelibus firmiter, constanterque credendam* ». Quod vero heic agatur de conceptu passivo, patet ex citatis verbis « *in primo instanti* etc. »; in conceptu enim passivo tantum habetur personae resultantis instans primum, cum prius persona non sit; quippe quae ex animi cum corpore conjunctione in humanis exurgit.

(41) Genes. cap. III. v. 15.

(42) Quod cit. πρωτευαγγέλιον, uti vulgo nuncupatur, Mariam respiciat, patet per omnes ferme sacrae scripturae espositores. Lege sis Iacob. Tirin. Anteverpian. in cap. III. Genes.; Alphons. Tostat. Hispan. Episcop. Abulens. in id. cap. III. Genes: qu. XVI. « *An Deus deberet maledicere serpenti* »; Cornel. Alapid. Comment. in Genes. cap. III. v. 15. Ast repones non ab omnibus legi: *Ipsa conteret* etc., sed *Ipsum*, et *Ipse* etiam: eccur certo certius infertur Mariam contrivisse serpentis caput per immunitatem ab originis culpa? Respondeo. Quamvis pronomen הוא legant hu relate ad semen mulieris S. Leo et Lipomanus, adeoque vertant *ipsum*; alii vero *hi*, unde graece αὐτὸς una cum LXX, et Latine vertant *ipse* (scilicet homo-Deus vel Christus); rationabilius tamen standum Vulgatae lectioni, quae hebraica verba הוא ישופך ראש sic latine reddenda exhibet: *Ipsa conteret caput tuum.* Enim vero ita habent Biblia Romana, et omnia ferme latina prout legitur a S. Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Gregorio, Beda, Alcuino, Bernardo, Eucherio, Ruperto, aliisque, uti videre est in Alapide loc. cit. Et haud immerito; siquidem videtur in textu Hebraeo adesse כְּתִיב וְלֹא קְרִי, scilicet aliter scriptum, et aliter lectum; 1. quia quibusdam in codicibus correctioribus in margine, ubi de more errata corriguntur, reperitur היא hi, idest *Ipsa*: 2. quia הוא hu persaepe legitur pro היא hi ad emphasin, cum scilicet subiecto licet femineo aliquid tribuitur virile, sicuti in casu nostro, cujus extant innumera exempla in eodem Geneseos libro e. g. cap. III, v. 12 20, cap. XVII, v. 14, cap. XXIV, v. 44, cap. XXXVIII, v. 21-25: 3. quia haud impedit masculinum (ישופך *jascuph*); per ἐναλλαγην enim, quae crebra est in hebraeo, masculinum usurpatur pro feminino, et viceversa, cum praesertim agatur de mysterio, prout in casu nostro; unde hi iascuph positum est pro *hi tascuph*. Caeterum etiamsi legatur aliter, quam *Ipsa*; cum inimicitia mulierem inter cum semine suo, et serpentem cum semine suo perpetuo, et absolute ponatur, etiam effectus, capitis videlicet contritio serpentini, debet esse communis mulieri, ejusque semini. Quare si mavis legere *Ipsum*, quam *Ipsa*, mulierem praedictam non excludes, tanquam perpetuo, et absolute inimicam serpenti, cujus caput ob id et ipsa per semen suum, idest Christum, promittitur penitus attritura; id quod ad amussim in thesi asseritur.

jus. In Cant. Cant. habetur: ***Pulchra es, amica mea, et macula non est in te*** (43): et ibidem alibi: ***Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*** (44). In Proverbiis legitur: ***Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas*** (45). Ex Lucae Evangelio sic Gabriel Mariam allocutus est: ***Ave gratia plena*** (46). Ergo.

Prob. eadem 1. pars ex perpetua, et non interrupta ad Sancti Bernardi aetatem usque traditione, quae veritatem, quam heic tuemur, quovis saeculo retinuit, ac ad posteritatem transmisit. Etenim saeculo primo luculentum habemus testimonium ex Praesbyterorum, Diaconorumque Achajae epistola, cujus latina versio per Carolum Christophorum Woog sic exhibet: *Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo: necesse erat ut ex Immaculata Virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui antea condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdiderant homines per Adamum, repararet* (47). Saeculo secundo ex S. Martyre Justino habetur: *Ipsum (Verbum) hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Heva enim cum virgo esset et incorrupta sermone serpentis concepto, inobedientiam, et mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium percepisset, nuntianti Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum* (48). Saeculo tertio Origenes sic ait: *Audite, quod Virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens, quae neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatibus venenosis infecta* (49). Saeculo quarto Mediolanensis Antistes Divus Ambrosius ita inquit: *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati* (50). Saeculo V. Theodotus Ancyranus *Virginem appellat innocentem sine macula, omni culpa vacantem, intemeratam, sanctam anima et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans* (51). Saeculo VI. Testis est S. Fulgentius illis verbis: *In primi hominis conjuge nequitia*

(43) Cap. IV, v. 7, Cant. quae quidem verba a PP. et ab Ecclesia Catholic. in divinis officiis BB. Virgini aptantur.

(44) Cap. II, v. 2. Cant. quae quidem verba pariter leguntur in divinis officiis de BB. Virgine.

(45) Cap. XXXI item ex divinis officiis BB. Mariae Virginis.

(46) Lucae cap. I. v. XXVIII.

(47) In Bibliot. PP. Andreae Gallandii tom. 1, pag. 157, cap. 5, qui § IX, hanc epist. scriptam fuisse refert an. Christ. LXXX, testaturque usurpatam publice in divinis officiis, Catholica Ecclesia adprobante.

(48) In Dialog. cum Tryphon. num. 100, p. 195-196, edit. Maur. Paris 1742.

(49) Orig. Adamant. opp. part. II, edit. Parisiens 1572. Hom. 1, *inter homilias in diversos* pag. 274-275.

(50) Serm. XXII, in Psalm. 118, n. 30, edit. Maur. tom. 1, coll. 1255.

(51) In Bibliot. PP. Gallandii tom. 9, pag. 475, n. 11-12.

diaboli seductam depravavit mentem : in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit , et carnem (52). Saeculo VII. S. Sophronius Patriarcha Hierosolym. in epist. synod. ad Sergium Episcopum quae extat actione X. Sextae Synodi scribit: *Uterum qui Virginitatis resplendebat castitate, Mariae Sanctae, Honestae, ac Divinae, et ab omni inquinamento Liberae, ingressus* etc. (53). Saeculo VIII. non minus clara sunt Joannis Damasceni verba , qui sic ait: *Ad hunc paradisum* (*Mariam subaudi*) *serpenti aditus non patuit . . . . ipse enim Unigenitus Dei Filius cum Deus esset, ejusdemque ac Patris substantiae, ex hac Virgine ac pura terra seipsum hominem formavit* (54).

Saeculo IX S. Paschasius Ratbertus ne hilum quidem haesit *Virginis pudicitiam praedicare incorruptam, et incontaminatam, et ab omni contagione primae originis confiteri alienam* (55). Saeculo X. non minus luculenter, ac diserte locutus est Divus Petrus Damianus; ait enim: *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adae non admisit* (56). Saeculo XI. tantundem Cartusianorum parens Sanctus Bruno asserit dicens : *Dominus de coelo in terram aspexit , dum de regalibus sedibus in uterum Virginis venit. Haec est enim incorrupta terra illa , cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione libera; per quam vitae viam agnovimus et promissam veritatem accepimus* (57). Saeculo XII. stat pro nostra tandem sententia S. Anselmus Cantuariensis , qui sic ait : *Decebat ut illius hominis* (nempe Christi) *conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate , qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum. . . . . ita dare disponebat , ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, et Virginis Filius* (58). Ergo.

Prob. eadem 1.ª pars ratione Theologica ex principiis Angelici Doctoris Divi Thomae deprompta. Ex tanto enim Doctore ; *quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis partici-*

(52) Sermon. De duplici Nativit. Christ. n. 6, edit. Paris 1614, p. 554.

(53) Ubi in graeco textu usurpatur vox ἐλεύτερος quae latine redditur liber , et immunis juxta lexicon manuale graeco-latinum , et viceversa Cornelii Schrevellii edit. Patav. an. 1715 ad insinuandum Deiparam fuisse ab omni primigenia labe prorsus immunem , et liberam , haud vero liberatam quasi eam actu , et de facto jam contraxisset.

(54) Ex version. Le-Quien opp. tom. II. pag. 869 ubi errore Typographi omissa est particula *Non*, quae in graeco textu habetur: Ἐν τούτῳ γὰρ ὁ ὄφις οὐκ ἔσχε παρείσδυσιν.

(55) In Bibliot. Maxim. PP. Lugdun. 1677, tom. XII, p. 565 collect. 2.

(56) Opp. S. Petr. Dam. edit. Rom. 1606 , tom. II, p. 113 in Sermon. de assumpt. Mariae.

(57) Comment. in Psalm. 101, opp. edit. 1523, pag. 169 col. 2.

(58) De Conceptu Virginal. cap. 18. edit. Maur. p. 105.

pat effectum illius principii, unde Dionysius dicit (59) *quod Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines* (60). Atqui Beata Virgo fuit Deo propinquissima; de fide enim constat (61) Θεοτόκον fuisse. Ergo debuit participare effectum illius principii magis, quam Angeli caeterique homines sancti. Atqui si fuisset sanctificata post animationem, postque contractam originis foeditatem; neque Angelis, neque reliquis Sanctis praestitisset. Ergo.

Prob. min. Non Angelis scilicet bonis, quippe qui peccatum nullatenus admiserunt; non reliquis Sanctis, siquidem etiam Hieremias fuit, antequam de vulva exiret, sanctificatus (62), perinde ac Joannes Baptista (63). Ergo.

Prob. 2. eadem 1. pars. Ex eodem Angelico Doctore *non celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo* Sancto (64). Ergo non celebratur festum nisi de objecto Sancto. Atqui Ecclesia Graeca a saeculo V. et Latina a saeculo VIII (65) Immaculatae Conceptionis festum in sensu quidem Alexandri septimi (66) ita alicubi celebrare coepit, ut tandem ad nostra usque tempora universim egerit solemne. Ergo.

Probatur 2. pars Thesis. Pluris est faciendum privilegium, quo quis a debito in aliquod malum incidendi redimitur, quam quo a malo, in quod reapse jam incidit, eripitur: id quod apprime clarescit. Atqui Beata Virgo Maria Dei privilegio a debito contrahendi originale peccatum non vero a malo ipso Adamitico jam contracto liberatur. Ergo.

Probatur 3. pars Thesis. Ex Apostolo (67) *Christus .... per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inven-*

(59) Capite IV de coelest. Hierarch.

(60) III. part. qu. XXVII art. 5. « *Utrum B. Virgo ... adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum* » in conclus. » *Majorem B. Virgo M. gratiae prae caeteris plenitudinem a Christo obtinere debuit, quae Mater illius esse meruit, qui est omnis gratiae origo, et principium* ».

(61) Ita definit. contr. Nestor. P. C. in concil. Ephesin.

(62) Hier. cap. 1. *Antequam exires de vulva, novi te.*

(63) Lucae cap. I, in quod Ambros. sic. *Nondum inerat ei spiritus vitae, et jam inerat ei spiritus gratiae.* Neque dicas Mariam postquam Dei Filium conceperit, fuisse Deo propinquissimam, tumque, non antea, fuisse tanta gratiae plenitudine dignam: debuit enim, dispositive saltem, et antea participare de effectu illius principii, cui futura erat postea propinquissima. Et re quidem vera mentem Doctoris Angelici satis explicat aliud sui ipsius principium, quod ita habet. *Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat, et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* III. part. qu. XXVII artic IV.

(64) III. part. qu. XXVII artic. 1. « *Utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero* ». Sed contra est etc.

(65) Legasis cap. VII. Disquisit. Theolog. Ioan. Perrone S. I. de Imm. conc. etc.

(66) In constit. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* 8 dic. 1661.

(67) Ad Hebr. cap. IX, v. 11.

ta; *et alibi* (68) *unus Deus*, *unus et Mediator Dei et hominum*, *homo Christus Jesus*. Ex quibus sic arguimus: si quid redemptionis est in aliquo, vel praeservativae, et singularis, vel simpliciter dictae, et communis; illi utique ejusque meritis acceptum referri debet, cujus unica est, et aeterna redemptio; quique unicus est Mediator Dei, et hominum. Atqui ex allegatis ab Apostolo desumptis in uno Christo Dei, et hominum mediatore invenitur aeterna hujusmodi redemptio. Ergo illius meritorum intuitu sane est collatum quicquid redemptionis vel praeservativae in aliqua reperitur persona. Atqui tali redemptione a culpa primigenia praeservante B. V. M. donatam fuisse jam satis, superque ostendimus. Ergo.

SATISFIT OBJECTIONIBUS.

Ob. 1. Ex Script. videtur, quod passivus B. Virginis conceptus non fuerit immaculatus. Enim vero in sacris litteris legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*? (69) et alibi: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (70); denique generatim ex Apostolo profertur: *in quo* (*Adam*) *omnes peccaverunt*. Ergo (71).

Resp. neg. ant. Ad probat. vero admit. text. in sensu explic. neg. cons. Praeterquam quod Patres nonnulli (72) verba Jobi eo intelligant sensu, quatenus nemo sit qui in multis non offendat Alexandrinae (73) insistentes versioni; nobis tamen negotium non facessunt ea ipsa in sensu obvio, et non violento inspecta. Si quid enim, hoc utique unum, quoad ex insequentibus patet (74), conficiunt, solum Deum scilicet posse de semine immundo conceptum efficere mundum: id quod et nos in duabus postremis nostrae Theseos partibus enodate evicimus. Ad alia quod attinet Davidica verba ne nostrae quidem videntur incommodare assertioni; siquidem cum activam respiciant conceptionem (75), si qua inficiunt foeditate, gignentes potius foedant, quam genitos, et quidem

(68) I. ad Tim. cap. II. v. 5-6.

(69) Job. cap. XIV. v. 4.

(70) Psalm. L. v. 6.

(71) Ad Rom. cap. V. v. 12.

(72) Adi sis Sabatier—Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae. Remis 1745 tom. I part. 2, pag. 856.

(73) In vers. Alex. Iob. 14, v. 4, sic: τίς γὰρ ἔσται καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου; οὐδὲ εἷς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα γένηται ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς.

(74) *Nonne tu qui solus es?* Iob. cap. XIV, v. 4.

(75) Recole sis vim text. hebraic. allat. adnot. num. 17 sign. juxta quam sic vertendus. *Ecce in iniquitate formatus sum, et in peccato calefecit me mater mea.*

solius Davidis. Caeterum, expendamus cum restet objecta ex Apostolo, quae utique dubium aliquod movere possent, ad eamdem revocentur trutinam et Jobi, et Davidis testimonia in nostram propositionem intorta. Verba igitur Apostoli sic distinguamus oportet: *In quo omnes peccaverunt* quoad debitum con. omnes quoad originis peccatum actu contractum iterum disting. modo nullum sit alicui factum speciale evadendi privilegium con. secus neg. Responsio patet ex dictis, unde eam heic omittimus.

Inst. 1. At sacris in litteris nuspiam hocce pro Deipara privilegium indigitatur. Ergo.

Respond. disting. explicite conc. implicite neg. Nam si lauce perpendantur critica verba praesertim Geneseos (76), quae πρωτευαγγέλιον hac in re efformant, haud spreto PP. aliorumque (77) sacrorum interpretum commentario; cuique procul dubio patefiet Deum eo in loco, cujus verba non transibunt, licet coelum et terra pertransibunt, tantum fuisse pollicitum privilegium suae futurae Matri, quae κατ' ἐξόχην nuncupata est mulier. Ergo saltem implicite sacrae Litterae Deiparae Mariae ab Adamitica noxa innuunt exemptionem (78).

Inst. 2. Verba Geneseos (79) de naturali hominis in serpentem antipatia quidam commode intellexere. Ergo.

Respond. disting. Rationalistae fortasse conc. Catholici neg. Cum Rationalistarum sit nihil aliud praeter mythos in Scripturis detegere, aliaque Aesopianas ad fabellas amandanda juxta ipsos (80), cumque ipsis sit minus datum sublimia introspicere illic mysteria, quae nobis patefecit Deus ipse; nemini mirum, si Geneseos verba iidem ipsi rationalistae de quadam naturali hominem inter et serpentem aversione interpretentur: quam quidem expositionem vel eorum patres abnuunt nempe protestantes (81). Veruntamen illud unum eorum obtundat audaciam verbum scilicet futuri temporis אָשִׁית ponam; cum, si qua vera sit hominem inter, serpentemque ἀντιπάθεια, isthaec utique ab mundi ortu extiterit.

Inst. 3. Etiam si in sensu spirituali sumantur Geneseos verba ; ab ip-

(76) Genes. cap. III. v. 15.

(77) Iterum adi sis, quae in adnot. n. 41, signat. praemisimus.

(78) Si qui sunt PP. qui ad aliud detorserint verba Gen. cap. III, v. 15 *nil mirum, quum neque de Christo exposuerint, adeo ut ... attamen nullum ex Catholicis reperies, qui sententiam in serpentem, seu potius in Daemonem a Deo latam non accipiat de futuro promisso Messia, seu Christo daemonis debellatore, adeoque et de ejusdem Messiae SS. Parente oraculum non interpretetur* pro ea parte, quae Eam respicit. Ita Ioan. Perrone S. I. in Disqui. Theolog. ad not. 2. cap. IX app. in fin. p. 1.

(79) Gen. III v. 15.

(80) Ita sane rationalistae Rosenmuller, et Gablerus.

sis Catholicis aptantur justis omnibus, qui per Christum serpentem extunc erant debellaturi. Ergo.

Respond. disting. Extensive, et secundario conc. Immediate, et primario neg. Fatemur utique per quandam extensionem ea Geneseos verba singulis accommodari quidem justis communi cum hoste Jesu-Christi armis pugnaturis, cumque tandem devicturis, ipsis non exclusis Protoparentibus, qui serpentem poenitentiae vi penitus confecere (82). Ast praecipue, et immediate seu in sensu, ut ita dicam, primo nil aliud verba illa praesefcrunt, quam perpetuam inter mulierem, semenque ejus, et serpentem, ejusque semen inimicitiam, necnon triumphum quem mulier illa fuisset latura seminis sui, nempe Christi virtute serpentis caput prorsus atterendo. Ad os adversariorum obstruendum pro omnibus audiatur s. Epiphanius, qui ait (83): *illic Deus ita serpentem alloquitur; inimicitiam ponam inter te, et illam, inter semen tuum, et semen illius. Atqui nusquam ejusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem .... ad Hevam hostiles illae inimicitiae referuntur. .... Plene quidem, ac perfecte accommodari ad illam universa nequeunt, sed in Sanctissima, eximia, et singulari stirpe, quae ab sola Virgine Maria sine ulla viri consuetudine propagata est, reipsa, ac penitus impletur*: quid hoc luculentius, clariusve? Accedat insuper quod si ea ipsa Geneseos verba indiscriminatim usurparentur; triumphus de humani generis adversario evaderet et plenus, et communis, tumque argumentum nimis probaret, adeoque nihil.

Inst. 4. Verba illa primario, et immediate de Christi super Daemonem triumpho sunt intelligenda. Atqui Mariae triumphus ab illo Christi longe est diversus. Ergo. Eo vel magis quod Beata Virgo non foret amplius et ipsa Christi redemptionis indiga (84) Ergo.

Resp. disting. min. Subjective inspectus conc. Objective neg. Ad Confirm. etiam disting. Si triumphum tulisset virtute propria conc. si

(81) Nam ipsi de vaticin. Messian. exponunt. Consule sis Corn. de Hase diatriben de proto-evangelio paradisiaco ad Genes. III, v. 15, cap. VII, in thesauro theologico-philologico Amstelod. 1701.

(82) Adi sis Irenaeum lib. III, cap. III. Tertullianum lib. II. contr. Marcion. cap. XXV, Origin. Hom. XXXV in Matth. Epiphan. haeres: XXXXVI. Euseb. lib. IV hist. cap. XXIX. Lege sis Laur. Berti in tract. de Deo Creat. Bellarmin. lib. III de amiss. gratiae cap. XII. Nat. Alex. saeculo II. dissert. XVII. Hinc. Aug. Ep. ad Evod. XCIX ait. *de illo primo homine, quod eum ibidem solverit (Christus) Ecclesia fere tota consentit.*

(83) Lib. III, advers. haeres: XXVIII edit. Patav. tom. II, p. 1050, et seq.

(84) Ita ferme inter alia Anonymus Taurinensis in libello cui tit. Proposta di alcune difficoltà, che si oppongono alla definizione dommatica dell'immacolata Concezione della B.V.M. Torino 1854, cap. II, III, v., ubi Christum etiam Matrem suam a peccato redemisse objicit.

meritorum Christi neg. Christus est verus Deus verusque homo in unitate suppositi, et quidem divini (85). Eo igitur instanti, et unico, quo Altissimi virtute perfecta est Christi humanitas, qualibet semota virili consuetudine, priusquam hypostasi subsisteret propria, eam assumpsit divina Verbi persona, terminavit, necnon ultimo complevit (86). In Verbum autem, quod est essentialiter Sanctum, peccatum nullatenus cadere potest (87). Christi igitur victoria de quovis peccato videtur esse Ei ceu intrinseca. Huc exinde spectant Scripturae (88), et Patrum (89) propositiones de incarnato Verbo, quas Logici de *subjecto excluso* nuncupant, queisque solus Christus praedicatur justus, sanctus, impollutus, atque omnino absque peccato. Hinc est quod hac sub ratione tantum, videlicet, *subjective*, Christi triumphus ab illo Matris sit infinite alius. At cum in citato loco (90) se oppositurum serpenti; seminique suo per absolutam, et identicam inimicitiam mulierem periode, ac semen ejus Deus fuerit pollicitus; nulli dubium, quin mulier, seu Deipara aeque ac semen ejus videlicet Christus, serpentem omni ex parte vicerit, ejusque caput contriverit; hoc tantum discrimine, quod Illa virtute seminis sui Hic propria, prout est hucusque demonstratum. Igitur Christi triumphus quamvis *subjective* sit longe alius ab illo Matris; *objective* tamen est omnimode identicus. Hisce hactenus explanatis, tota corruit inde Taurinensis objecta confirmatio; si enim virtute sui seminis Mater triumphavit,

(85) Consule sis III. Ioan. v. 13 Ad Ephes, IV, v. 10, ad Gal. IV, v. 4, ad Philipp. XI, v. 6; Patres omnes vero apud Petav. lib. III, de Incarnat. pro omnib. tamen hic sufficiat unus Athan., qui lib. de Incarnat. ait. *Homo una persona, et unum animal est ex spiritu, et carne compositum ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam, et non duas.* Hinc ita Conc. Ephesin. contr. Nestor. P. C, definivit.

(86) *Firmissime tene, et nullatenus dubites carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo, sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione incarnatum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.* Ita pro omnib. PP. Fulg. lib. de Fide ad Petrum cap. XVIII.

(87) Unde ipsemet Christus de seipso ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. VIII, v. 46. Quare ex hypost. union. inesse Christo: seq. ἀναμαρτησίαν, seu impeccantiam, eamque esse substantialem, non accidentalem, uti contendit Durand. in III. Distin. XII, q. 2 aliique, qui hujusmodi impeccantiam in Christo ex animae ejus beatifica visione repetendam esse volunt, ac proinde accid. eam dicunt non substant.

(88) Ioan. cap. XIV, v, 30, XI, ad Cor. v. 21, ad Hebr. IV, v. 15, VII v. 26, S. Petr. cap. III, v. 18.

(89) *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit umquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profecto, aut suscipiendam mundavit, aut suscipiendo mundavit.* Ita Aug. lib. de peccator, merit. et remiss. cap. XXIV, n. 38.

(90) Genes. cap. III, v. 15.

hujusce sane virtutis indiga fuit ad primigeniam omnino vincendam labem, cujus contrahendae debito certe obnoxia fuit.

Obii. 2. Innumera sanctorum Patrum testimonia immaculato Deiparae conceptui videntur prorsus refragari (91). Ergo.

Resp. disting. Prima fronte conc. adversa fronte neg. Itaque ex P. Benedict. Plazza (92) omnia hujusmodi testimonia ad quinque genera exigi possunt. Primum enim solum Deum, et Christum sine peccato confitetur. Alterum vero totum genus humanum adamitica noxa inquinatum asserit. Tertium est eorum, quae solum Christum a primigenia lue excipiunt. Quartum est eorum, quae Marianam carnem peccati carnem appellant: Quintum denique est eorum, quae eandem Deiparae carnem sanctificatam, emundatam, purgatamque fuisse tenent (93). Atqui horum quinque nullum cum nostra sententia adversa fronte pugnat. Nam tria prima commode emolliri possunt ex hactenus dictis in responsionibus ad objecta ex Scripturis. Postrema duo sic facile cum nostra sententia conciliari possunt. Alterum intelligito de activa conceptione, et alterum de sanctificatione, emundatione, purgationeque praeservante, ac praeveniente sumito; sic enim apprime componuntur etiam a Joanne Perrone S. J. (94). Ergo prima fronte videntur piae refragari sententiae. et nullo pacto adversa fronte (95). Alias Tridentinum in suo de peccato originali decreto vel ipsam B. V. inclusisset, quod utrique conceptis evasit verbis (96)

Inst. 1. Saltem Bernardus adversa fronte videtur in Epistol. ad CC. Lugdun. nostrae Thesi contrarius. (97). Ergo.

Nego Antec; et respondeo: Unicuique perlegenti epistolae Bernardi

(91) Perlege sis Bandellum Castronovo Ord. praed. M. Gen. XXXVII. 1470, in tract. De singulari puritate, et praerogativa conceptionis Christi; Card. de Turrecremata in op. de veritat. concept.; Card. Cajetani opusc. XI. de conception. B. Virg; Melchior. Can. de locis Theolog. lib. VII. cap. I. conclus. IV. nocoon noviss. Anonym. Taurin. in lib. jam cit.

(92) In celeberr. oper. cui tit. Causa Immaculatae Conceptionis Vol. in 4 Panorm. 1747. ex quo haec ipsa, et alia exscripsit in sua disquis. Theolog. cap. VI. p. I. Joan. Perrone S. I.

(93) Adi sis cap. VI. cit. Disquisi. Theolog. Joan. Perrone incipiendo ab illis verb « *Verum et huic numero aliquid adhuc est detrahendum.* »

(94) Lege sis σύγκρισιν eorum, quae utrinque allata sunt cap. XV. p. I. Disquis Joan. Perrone S. I.

(95) Uti opposuit Anonym. Taurin. in libell. citat.

(96) Concit. Trid. ses. 5. ait: *Non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, B. et Immaculatam V. M. Dei Genitricem;* probavitque constitutione Xisti PP. IV.

(97) Ita Anonym. Taurin. in libell. citat. p 82 ubi in nota verba D. Bernardi Ep. CLXXIV ad Can. Lugd. accurati refert.

contextum (98) patet Clarevallensem Abatem nostram haud attigisse quaestionem; sed tantum activi conceptus Dei Genitricis M. cultum improbasse: primo eo quod novum esse dicit in Ecclesia: 2.° quia nullum habere asserit objectum, cum Beata Virgo nequiverit ante sancta esse, *quam esse*: 3.° denique praeter alia quia ipsum generationis actum peccatum appellat C. S. Doctor. Quae quidem praecipuae rationes cum ex ipsa Epistolae serie sint manifestae; quis non videt Bernardum conceptionis activae, non vero passivae cultum impetivisse? Ad rem nostram inter alios (99) Clarevallensis verba Sanctus Bonaventura detorsit dicens: *non huic obviant dicta Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem ne quis credat Virginem sanctificatam in conceptione activa, quam erga Virginem devotionem nostram minuere* (100).

Inst. 2.° Quidquid senserit Bernardus; nihilo tamen secius fatendum Angelicum Doctorem tantum Mariae perfracte denegasse privilegium, Ergo.

Pro: Ant: ait enim: *Relinquitur quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post ejus animationem.* (101) Ergo.

Distinguo ant: posterioritate ordinis, et naturae conc: posterioritate temporis neg. neg. cons. et resp. Si quis Doctoris Angelici verba nobiscum una penitius rimetur non nisi specie tenus Immaculato adversari Conceptui et sibimet suadebit, et aliis persuadebit. Re quidem vera Angelicus Doctor totus est in defendenda B. Virginis sanctificatione *post*, et non *ante* Ejus animationem, quod ad peragendum duplicem init viam (102) Altera est, quia sanctificatio, de qua sermo, utpote gratio-

(98). . . *Sic... Unde ergo conceptionis sanctitas? an dicitur sanctificatione praeventa, quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus, quemadmodum jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit antea sancta esse, quam esse; siquidem non erat antequam conciperetur. An forte... sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta?... Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat: sed nec ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat;...*

Quamobrem, etsi quibusdam vel paucis Filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen et concipi, ut Uni sane servaretur sancti praerogativa conceptus, Qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum—Quam quid. Ep. supra cit. sic Bernar. ipse concludit. quae autem dixi, absque praejudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati, atque examini totum hoc, sicut et caetera, quae ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.

(99) Quos recenset Mabillonius in nota 141. in epist. LXXIV. S. Bern. col. p. 2.

(100) Vide sis etiam Aleus. p. 1. q. 1. art. 2. et alibi.

(101) In fin. concl. art. 2. q. XXVII. p. III. Summae.

(102) *Respondeo dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante ejus animationem duplici ratione.* Ibid.

sa ab originali peccato emundatio, cujus sola creatura rationalis sit capax, cum inveniri nequeat, nisi in proprio subjecto, supervenire non intelligitur nisi *post* ipsius subjecti efformationem; quod subjectum sane efficitur per animi in corpus immersionem (103). Altera est, quia cum sola creatura rationalis sit culpae capax, cumque, antequam anima informetur, proles concepta omni vacet culpa, si *ante* sanctificaretur, frustra sanctificaretur ob culpae defectum, adeoque Christi redemptione minus egeret; idque esset Scripturis absonum (104). Ex verbis igitur A. Doctoris hucusque explanatis fluit veluti prono alveo Ipsum voce *post* usum, ne diceret *ante*; si enim dixisset « in ipso animationis instanti » in idem reincidisset; cum in infusione animae corpori, licet veluti efficiendo efficitur suppositum humanum, efformatum tamen haud concipiatur, nisi animatione *post* peracta saltem posterioritate ordinis et naturae. Quemadmodum si quis diceret Christi Humanitatem ad Deitatis honorem evectam non esse, nisi *post* Unionem Hypostaticam; ly *post* non esset utique de posterioritate temporis intelligendum, verum ordinis, et naturae: ita et a pari in subjecta materia. Enim vero in hypothesi contraria perperam concluderet D. Thomae argumentum; esset enim consequentia *alogica* quippe ex praemissis omne aliud medium haud excludentibus deducta. Et re quidem vera utrumque inter instans, *ante* animationem scilicet, et *post*, absolute loquendo, medium foret, nempe illud, quo corpori infunditur anima, uti patet per Cajetanum ipsum (105), et Dogmaticam Definitionem (106): Atqui id peracutam tanti Doctoris mentis aciem effugisse ne leviter quidem fas erit suspicari. Ergo concludendum juxta membra in ipsa responsi fronte distincta. Adde insuper quod A. Doctor aliis in lo-

(103) *Primo quidem quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dic.* 12. de div. nom. *Culpa autem non potest emundari, nisi per gratiam, cujus subjectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis B. V. sanctificata non fuit.* Ibid.

(104) *Secunda quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et sic quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione, et salute, quae per Christum est, de quo dicitur* Matth. 1. *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc *autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum* ut dic. I. ad Timoth. *Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post ejus animationem.* Ibid.

(105) Nam ipse Cajetanus fatetur dicens: *Absolute loquendo inter illas duas positiones extremas, scilicet quod fuerit sanctificata vel ante infusionem animae, vel post infusionem animae, est positio media quod fuit sanctificata in istanti infusionis animae. Cujus opinionis Auctor hic non meminit...* Recole pis ejusd. Cajet. adnot. num. (25) a nob. sign.

(106) Ut in corp.

cis perinsigni exemptionis privilegio B. V. donatam fuisse aperte dicat; neque ob id B. V. Maria a redemptione universali eximeretur; cum alibi idem Doctor nostram admittat distinctionem inter debitum contrahendae culpae, et ipsam actu contractam perinde, ac utrumque redimendi modum (107) de quo in prolegomenis jam egimus.

Ob. 3.° Pius PP. IX. sibimet non jure, sed injuria infallibilitatem arrogando novum edidit Dogma a saeculis in Ecclesia inauditum (109). Ergo.

Neg: Ant: et resp: Dogma de immaculato B. V. M. conceptu, licet sub novissima formula a IX. Pio prolatum, non esse novum, neque a saeculis inauditum in Ecclesia abunde, perspicueque supra est ostensum (110). Hinc ab isthac Taurinensis calumnia immortali Pio IX. impacta, ne tempus inutiliter teramus, crambemque recoquamus coram, vindicanda, repellendave abstineamus oportet. Restat igitur solummodo ut heic Illi, nunc feliciter regnanti, infallibilitatem hac in parte sartam, tectamque tribuamus: quo quidem a munere nos sic breviter expediemus. Pontifex Romanus est infallibilis, quando una cum universa Ecclesia docente, cujus est caput, sive dispersa, sive in aliquo concilio congregata loquitur, et loquendo docet, id quod est aut credendum, aut opere peragendum (111). Atqui in subiecta materia Pius PP. IX. locutus est, et docuit una cum universa Ecclesia docente, cujus legitimum est caput, (112). Ergo jure, meritoque haud vero injuria, immeritoque infallibilitatem sibimet arrogavit. Quae cum ita reapse sint, conticescat potius, pudoreque repleatur Taurinensis, quo cum vel auctor libelli (113) in Hi-

(107) Ut in cap.

(108) Nos Thomistis praefidentes Joan. a san. Thoma Nat. Alexandr. Ven. Seraphin. Capponi a Porrecta, Gaudin, aliisque quos in eodem nobiscum labore refert Joan. Perrono S.J. in not. inf. posit: num. 2. pag. 38. fol. nuperrim. adjunct. tract. de Deo Creatore p. III. cap. IV. de peccat. orig. propag. hunc in divi Thomae cit. loc. dedimus commentarium.

(109) Ita ferme iller Anonymus, modo sit alter, inter alia in opusc. cui tit. Lettera di un Sacerdote Cattolico ai Vescovi della Chiesa di Dio. Torin. 1854; qua epistola totius orbis Episcopatum vult praemonitum iri, ne in haeresim ob Dogmaticam conceptus Immaculati B. V. definitionem prolabatur.

(110) Recole sis, quae diximus animad. 4. in prolog. thesis, nec non demonstrat. I. part. thesis ex perpet. et non interrupt. tradit.

(111) Adisis M. Can. aliorumque Theolog. tract. de loc. Theolog. ubi praesertim de infallibilitate Rom. Pontificis, et Ecclesiae disser.

(112) Clarescit ex Respons: ad Encycl. Pii IX. universi Episcopatus, quae concors fuit pro sententia immaculatam conceptionem adfirmante, exceptis ex toto orbe Catholico quatuor tantum, quorum tamen tres brevi ex negante in adfirmantem abierunt. Vide not. a. 1. p. 18. Joan. Perrone S. I. in tract. de Deo Creator. fol. adjunct. nuperrim. p. III. cap. IV. de peccat. orig. propag. etc.

(113) Cui tit. de nullitate Dogmaticae definitionis de concep'u Immaculato B. Virginis factae a Pont. Pio IX.

spania nuper serpentis, virusque suum effundentis, Laborde, aliiqueejusdem furfuris hodie veluti catuli hac illac oblatrantes, atque in se reversus in fidei obsequium sese captivet, Immaculatamque Deiparam enixe adprecetur (quam et nos ex Christi charitate) ut suam apud ejus Filium, aeternumque Patrem interponat fidem pro illa Taurinorum Augusta a Christi Ecclesia (heu!) tantum non avulsa (114).

(114) Uti patet ex Ephemerid. cui tit. *Univers.*